

Q. B. V.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

USU LITERA-
RUM IN
VITA CIVILI,

QVAM

*Consensu ampliss. Fac. Philosoph. in Regia
ad ALURAM Acad.*

PRÆSIDE

RECTORIB. & MAGNIFICO

MAG. ALGOTHO A.
SCARIN,

Histor. & Philos. Civ. PROF. Reg. & Ord.

PRO HONORIBUS PHILOSOPHICIS

publice examinandam sistit

Regius ALUMNUS

HENRICUS CARPELIUS

ABOENSIS,

In auditorio superiori die 21. Febr.

ANNI MDCCXLI.

horis ante meridiem consuetis

ABOÆ, excud. Joh. Kizmpe, Reg. Acad. Typ.

CONSPECTUS.

- DISSESTITATIO HISTORICA
DE AESTHETICA LITERARUM
- Prooemiu*m* accuratum ingeniorum examen requirit.
 - §. I. Necesitatem literarum in vita civili demonstrat.
 - §. II. Principi futuro bonas literas necessarias ostendit.
 - §. III. Illum de civium eruditione solicitum quoque esse debere inculcat.
 - §. IV. Studiis bonarum literarum hominem Politicum imbuendum esse evincit.
 - §. V. Militibus, quem bonarum literarum cognitio praeſtet uſum, exponit.
 - §. VI. Sacerdotibus bonas literas de meliore noſta commendat.
 - §. VII. Mercaturæ cum studiis bonarum literarum commercium esse indicat.
 - §. VIII. Uſum, quem Rustici ex bonis literis hauriant, expendit.


HENRICUS CARPENTER

In subtilioſo ſophice ſis ſtudieſ

ANNI MDCCLXV

pericula ſue mortis in conuictu

ALIO EXCUCIO DE PIRATA, RIBBLEMAN, 1750.



PROOEMIUM.

TRahimur omnes ad cognitionis & sci-
entiæ cupiditatem, in qua excellere, ju-
dicante CICERONE, pulcrum putamus.
Pollent communiter omnes bonis dotibus tam
mentis, qvam corporis; habent adumbratas
animo suo rerum intelligentias, qvæ cultu ac-
cedente & tempestiva eorum, qvorum inter-
est, educatione, ad eruditionem comparatae
sunt, penitus & omnino conformatae. Hocce
vero bonitatis suæ thesauros non ideo homini-
bus concessisse providum Numen, ut turpi o-
tio, vel ignava cessatione torpescere sinant, sed
bonis artibus pro virili ornent, qvisqve facile
deprehendit, cui ad finem, cur creatus est,
paululum reflectere placuerit. Qvosdam, sed
pauciores, extremi ingenii homines, seu poti-
us simulachra naturæ humanæ excipias necesse
est, qvorum labor plane irritus est reluctante

natura. Horum si vel omni curatione adhibita,
corporem qvis excutere vell, præterquam quod
extra spem boni eventus laboraret, gigantum
quodam ausu demum, cum DEO ipso & na-
tura bellare multis videretur. Neque enim ex
quovis ligno sculptur Mercurius. Alii cum
PLATONE adeo robusta ac prope divina in-
genii vi gaudent, ut absque ullo vel negotio
vel temporis dispendio res subtilissimas &
humanis sensibus longissime remotas introspice-
re queant. Alii rursus tam steriles ingenio sunt,
tardi & illius Romani in modum *callipedes*, ut
licet speciem præbeant assiduo moventis, gradu
& luto eodem hæreant tamen: etiamsi *Athenis*
CRATIPPUM cum filio *CICERONIS* multos
annos audiant, stoliditatem congenitam, quam
apud exteror exuere intenderunt, si non in-
majus austam, quantitate ac qualitate eandem
tamen in reditu retineant referantque. Singu-
larem inesse cuique dispositionem & inclinatio-
nem ad certum quoddam vitæ genus, quid est,
quod multis probem: Omnes ad unum id si-
bi habent exploratissimum: neque a quoquam
nisi ab hospite domi & in naturæ sedæ scrutinio
admodum ignavo, aliter existimari potest. Pro-
inde

inde omnibus in summe vitæ civilis constitutis,
hoc opus , hic labor erit, accurata judicij tru-
tinâ perpendere , quid valeant humeri , quid
ve ferre recusent , ne ad aliud officium nati ,
alio vitam terant , & demum victi lassatique
operi misere succumbant. Hæc vero eo exten-
denda non sunt , quasi dicamus magna ac fe-
licia ingenia , & non etiam mediocria posse
excoli. Non idcirco quis & operam & oleum
perdidisse illico censendus est , quod tarditas
ingenii , alia atque alia naturæ asperitas indi-
cium unum vel alterum prodiderit difficultioris
culturæ. Licet non diffitendum sit , ad erudi-
tionem acquirendam , naturam utramque face-
re paginam , utpote quæ divite ac liberali ma-
nu , ceu prodiga mater celeres animi atque in-
genii motus , ad excogitandum acutos , & ad
explicandum ornandumque uberes spargat : ni-
hilominus tamen multi alioquin tardissimo in-
genio , tantam , assiduitatis ac constantiæ invi-
ctæ beneficio , scientiam rerum assecuti sunt ,
quantam intellectu attingere posse , ab initio vix
possibile ipsis videbatur. Atque adsertionis hu-
jus veritatem plurima quotidianæ experientiæ
documenta satis adstruunt. Ergo ad publicas

res promovendas multum conferet, si ab iis,
quorum interest, accuratum ingeniorum ex-
amen, idque opportune, instituatur, quinam
ex suæ fidei commissis alumnis aktioribus, id
est PALLADIS artibus, quinam *Sellulariis* ini-
ciari, quinam alit vitæ generi destinari aptio-
res videri possint. *Naturam* majora exigere ab
illis, quos excellentioribus instruxit dotibus, di-
stamina rationis cum *scriptura* amice contenti-
unt. quin tendit eodem ipsa rei civilis ratio-
quoque. Convenere in illam societatem ab ini-
tio homines, ut, connisu mutuo suo, rempu-
blicam continerent. Ad illam vero metam cum
robore & virtute eadem omnes & singuli con-
tendere nequeant, in quorum generatione au-
rum & argentum natura miscuit, ad plus u-
tilitatis civitati conferendum obligatos esse, ne-
mo non videt. Verum de accurandæ vitæ ci-
vilis adminiculis hisce, nedum usu & applica-
tione eorum concinna vix quisquam sibi gratu-
lari potest, nisi animum bonis artibus excolue-
rit. Summa itaque ope niti debent homines,
ut solidam & hisce finibus in primis conforma-
tam sibi comparent eruditionem. Quia vero a-
lis vitæ brevitas, aliis ingenium hebes, aliis
rei

9

rei bene gerendæ nervus, aliis alia obstant im-
pedimenta, singulis, licet ingenio abundant,
ad eundem gradum sapientiæ ascendere non li-
cere, res ipsa loquitur. Interim in rem &
sententiam hanc eandem non male dixisse cen-
sendus est, quicunque dixit: *Favat ire tenue,*
si non datur ultra. Sed plura hac de re præ-
fari festinatio prohibet: quare ad propositum ve-
niemus. Scilicet *usum bonarum literarum in*
vita civili paucis ostendere mihi animus est.
Quod dum animo constitutum habeo, benignum
abs te, Candide Lector, exspecto judicium.

§. I.

IN bonas literas oppido quadrat, quod de Poë-
tis adserit HORATIUS: quod possint modo
prodesse, modo delectare, jucunda simul & i-
donea vitæ regendæ instrumenta suppeditare (4).
Harum tanta est præstantia, ut a suis æstimate-
ribus vix satis prædicari possit. Ipso enim re-
rum usu ac experimento penes se quisque de-
prehendit, quæ ad stationem mortalem hanc-
ce, publico & privato bono, transigendam
requiruntur, tantum non omnia sapientia &
prudentia acquiri, conservari, amplificari que-

Est

(q) de Art. Poët.

Est literarum tanta necessitas, ut illarum usū, in vita præsertim civili, sublato, tenebræ Ægyptiacis spissiores juxta ac tristiores metuendæ omnino sint. Tanta quoque earum est jucunditas, ut non possint non omnes, quibus virtus & eruditio curæ cordique sunt, in admiracionem sui allicere, imo amorem quoque impellere. Quantum non ornamenti solum, sed etiam utilitatis atque præsidii, hæ & belli & pacis temporibus rebus publicis olim attulerint & etiamnum adferant, quotidiana nos docet experientia. Quid multa? cum vino generolo & per se vendibili non opus sit suspensa hedera, in illius sententiaz veritatem magni MES. SENII nostratis symbolum, Mors sine MUSIS vita est, ceu colophonium suffragium, adjeclle satis erit.

§. II.

Quantum hominibus in republica bonarum literarum cognitio conduceat, id clarius patebit, cui ire per singula vitæ genera lubet. Partium itaque nostrarum est, ostendere bonas literas sicut aliis, ita in primis PRINCIPI esse necessarias. Rationes, quibus hoc demonstretur, non e longinquo arcessi possunt. Qvum

mens humana variis laborebat imperfectionibus,
tantum abest, ut *Principi* ad rem publicam be-
ne gerendam satis sine celeritas ingenii, & vir-
tutum intellectualium naturalis *κτιστηρία* quædam,
ut potius in illis partibus, quæ sui officii fuerint, co-
gnitionem adjiciat, exercitationemque. Ne-
que enim salus singulorum civium aut reipubli-
cæ totius incolumentas, si in statu suo permane-
nere velint, aliter conservari possunt. Tanti
& tam alte positi finis necessitas urget, ut qua-
cum summi fastigii splendore *Princeps* aliis præ-
stet, tantum etiam sapientia ac prudentia, ce-
teros antecellat. Unde vero sapientia ac pru-
dentia, nisi ex eruditione, puta bonarum & ap-
prime utilium literarum studio atque cultura?
Eo vero fine requiritur a *Principe*, ut præter
veri **NUMINIS** sensum & amorem, etiam no-
titiam patriæ, indolem sui populi, ejus jura,
statum & indigentiam una cum *Historia* recen-
tioris ævi, nec non habitum finitimarum au-
ilarum cognitum sibi perspectumque habeat.
Neque enim de regno præsumendum, quod i-
gnavia voluntatem & licentiam faciendi quid-
quid velis, ambitu suo comprehendat. *Impe-
care officium est, dicit SENECA, & comple-
xitur*

stitur curam dexteritatemque provehendæ salutis alienæ. Hincque inutilibus ac curiosis magis, quam utilibus rebus immorari, & in translatione minutiarum minus necessaria hæcere Principem, statui & vita conditioni illius nullo modo consentaneum. Rerum enim agendarum diversitas atque moles animum non supervacaneis curis distractum ambiunt. Quantum adamiculi ex illis ludicris habere possit, quorum notitia ad propositum finem directe non tendit, ne oculis quidem armatis quisquam videre poterit. Sapientior itaque multo is censendus est, qui quidem pauciora, eademque publice utilia & necessaria tractat; humiliora vero, quam quæ personæ & scena regali convenient, procul fascessere jubet.

S. III.

VErum non sufficit, ut Princeps ipse solus eruditus sit. Interest illius magni quoque curam scholarum & educationis suscipere, qua animi civium, ad vitam civilem recte instituendam, præparentur. Constat inter omnes, usque eo totam rem publicam sartam rectamque manere, quoad sollicita literarum cultura vigeat. Ubi vero contempnuntur, adfirmare autem

9

sim, imminentis alicujus ruinæ prognosticon
non procul se exerere. Testes non moror. Ipsa
experiencia id satis superque comprobatur. Erro-
rem igitur eorum, qui statuunt *Principem* co-
fore munitiorem, quo cives ipsi rudiores ex-
stiterint, eruditu dudum exploserunt. Imperi-
tia & officii ignorantia efficit, ut in maximis
läpe periculis reipublicæ cunctentur, dormiant
cives. Cumque existiment injusta se semper pati,
ubi ad debita præstanta officia adiunguntur, de
contextu publicæ rei, sive cohæreat, sive dehi-
scat, segnus semper negligentiusque inquirunt.
Ultero largitur quisque rem hanc pensiculatius in-
trospectiens, nunquam beatius faciliusque ad-
ministrari imperium posse, quam ubi *Princeps* eru-
ditionis & prudentiæ laude florentibus imperat.
Causam si quæraris, hanc habe, quod erudi-
tio, hoc est, veri cognitio virtutem gignat &
ornet, pari libra mores, nempe imperium &
libertatem, humanitatem & severitatem in
regno misceat, adeoque quo indeflexo itine-
re ad Eudæmoniam civilem perveniendum sit,
liquido demonstret.

S. IV.

Quoniam de *Principe* dixi, nunc de illis
B qui

qui vel immediate principi, vel ceteris publicæ rei
administris subsunt, pauca dicam. Prodeant in
scenam primum illi, quibus publica ineunda sunt
consilia. Hos bonarum literarum notitia instrui
debere, non uno argumento probatur. Ete-
niam cum magna negotiorum varietas undique
proficit, adeoque supra humanas vires posunt,
ut *Princeps* solus omnia sustinere valeat: hinc
viros genere ac prudentia claros sibi adjungit.
Sed vicarios illius in rebus maximi ponderis
expediundis, qui agent, momenti illius gra-
vissimi, quo super in consilium adhibentur, i-
plos minime imperitos esse oportet. Et quis
nescit, majora negotia majoribus egere adju-
toribus & Consiliariis certe *Principum*, si qui-
bus aliis, res gravissimæ dijudicandæ obveni-
unt, quæ eo maiorem fidem & prudentiam re-
quirunt, quo magis talus reipublicæ iisdem ini-
nitatur. Digna omnino sunt verba **SALLUSTII**,
quæ heic allegentur: *Usque eo regna, civitates,*
nationes prosperum imperium habuerunt, dum apud
eos vera consilia valuerunt. (b) Sed paucis me ex-
pediam. Ex bonis litteris probe cognitis, cœli
ex speculo homines politici facile cernunt, quæ

Cœli

felicitati vitæ civilis maxime conducunt, vel tranquillitatem illius impediunt & turbant. Ex illo ordine consiliariorum fuisse olim Spekingos & Ansas ex Sueo-Gothis, annales veterum, præcipue vero JORNANDIS Getica testantur. Tractatores & curatores boni publici fuerunt, qui pro regis regnique salute vigilarent, qui dicenda promere non vererentur, silenda que premere neque ignorarent. consilia & autoritatem, comitiorum vinculis alligatam, in commune contulerunt, non minus dextre propria cientes temporibus futuris quam preteritis mederis scientes. Prudentia itaque, puta eruditione, multo rerum usu firmata si instructi fuerint, qui principi a consiliis sunt, futurum non dubitas mus, quin negotia, utut ardua, non rite solum, sed & integre & feliciter administrentur.

§. V.

Progradimur ad eos, qui Martis castra sequuntur, quem assidua literarum cultura his præstet usum consideraturi. Milites si non gregarii, saltem qui ducum munere funguntur, ante literas artesque ingenuas discere debent, quam bellis se devoveant, infestisque cum hoste cuspidibus configere aggrediantur. Innuit

proverbium quidem, controversis regum ad arbitrium Martis devolutis, silere leges, eiusque grassante furore, Musas prope obmutescere, utpote quæ inermes sint, pacemque invicem non ipse modo colant, sed ad pacis cultum quoque homines ab initio conditos fuisse, omni tempore, idque multis probatum iverint: Inter arma tamen literarum usum non omnino nullum, sed eximum fuisse, hoc in primis tempore, quo inter artes liberales belli disciplina referri cœpit, usus ipse rerum testatur, testantrur historiæ. JULIUS CÆSAR, licet ingenio fuerit magno ac felici, literarum studium tamen, ne quidem inter armorum strepitum, unquam remisit. GUSTAVUS ADOLPHUS, Svethiæ rex omnis ætatis ac memoriarum summus, quoties ab armis aliqua daretur cessatio, magni GROTII de jure belli & pacis, aut si mavis, juris prudenter divinarum institutiones legit, perlegit & non simplici vice relegit. Neque dubium, quin hoc quidquid fuerit officii, ipsis sibi facere & præstare queant Martis alumni. Non enim continuo concertatur in bello, ut non aliqua ab opere militari cessatio interdum detur, arque bonis literis ceterisq; curis vacare & possit & debeat.

beat gens militia studiosa. Igitur si quidem
 hi patriæ utilem præstare velint operam, degus-
 stare ex Philosophia debent, quæ fini assequen-
 do suo magis necessaria videntur, quamvis
 cunctis promiscue doctrinis, quæ augusto no-
 mine isto venire volunt, semet ingurgitare non
 necesse sit omnino. In primis vero illis,
 qui ad boni ducis laudes aspirant, Eno-
 quentia non ultima cura esse debet. Ex-
 perientia enim docet, orationem *ducum* ad
 modulos prope compositam & leniter perora-
 tam, eo saepe flectere & adducere potuisse
 animos feroces, quo rigor & severitas supplici-
 orum eosdem cogere non potuerint. Adde,
 quod notitia *Historiarum* & *Prudentia civilis*
 imbuti esse debeant, ut ad regulas inde hau-
 stas casus & eventus, si qui obvenerint, rite
 examinare possint. Sunt mathemata alia super
 alia, quorum ad rem prudenter & fortiter ge-
 rendam, illis opus est notitia, utpote *Geo-
 graphia*, cuius beneficio castra commodius lo-
 care, itinera felicius persequi, & insidias, vel
 si mavis stratagemata caute & occulte magis
 struere aut eludere possint; *Matheseos*, ^{ut i-}
^{gnor} sic dictæ disciplinae, quantum ad bellicam
 virtutem

virtutem conferant, si non aliunde quis scire posset, Scholæ militares (Cadet Scholar) recentioris ævi & inventi, eademque per Europam orbem passim & ubique instauratae certos & indubios nos efficiunt. Præterquam enim quod intellectum subigant, & judicium acuant studia Mathematica, ostendunt insuper etiam artem castrorum instruendorum & muniendorum, munitamentorum & arcium conficiendarum, tormenta bellica fundendi, explodendi, & eorum opera percutiendi dejiciendique aggressores atque muros; ut cetera heroica & egregia inventa, beneficio *Matheœos* prodita atque excogitata taceam, quæ singula expenders instituti ratio nunc non permittit,

§. VI.

Belli potentibus pacis & pietatis pracones annecto, quos bonarum literarum notitia imbui non una suaderet ratio. Gravia sunt & scopolis plena, quæ tractant sacerdotes, pro quibus magnæ iisdem sape tempestates subeundæ sunt, Qvocirca accuratam disciplinarum, non illarum modo, quæ præcise agunt de sensu & cultu Numinis, sed Philosophicarum etiam præcipue vero, quæ sacram Theologiam, pro-

propinqua cognatione contingunt, curam agant.
Earum cognitionem inter adminicula, quibus
res sacre facilius comprehenduntur, haud immo-
rito numeramus. Præterquam enim quod *Phi-
losophia obstacula*, quæ alioquin intellectui im-
pedimento sunt, quominus res sacras percipere
& dijudicare queat, ex animo primum re-
movet, in percipiendo etiam ingenium reddit
expeditum, in confirmando solidum, in de-
fendendo ac refutando denique acutum magis
ac nervosum. Ne de eo quid dicam, quod
illa subsidiariam cunctis operam præstet, con-
tra tantum non omne adversiorum genus,
quando orthodoxiam Theologicam illi, quibus-
cunque possunt, modis & machinis aggredian-
tur. Quid & quod dentur in sacro codice,
præter ipsa mysteria, quæ rationi impervia sunt,
multa etiam instituta & dogmata, quorum ex-
positionem tractationemque partim Theologi,
partim Philosophi sibi vindicant, quæ sine o-
pe *Philosophia* non plene & accurate doce-
ri, expediti atque defendi ægre possunt. Sunt,
non nego, qui apophegmate DAVIDIS: *oculo*
li ancilla perpetuo ad manum Domina respiciunt,
Philosophia utrum ejusque ad Theogiam habitum

& relationem expressum ire volunt. Accuratio-
ne, an vero astu fastuque majore illud identi-
dem fieri soleat nunc non dispiuto. Id icio cu-
ræ & judicio pedissequæ fidelis illius ab aucto-
re & Domino in scripturis multa relinquunt, o-
mnemque, qui naturam negligit, commerci-
um cum aliis gentibus non abrumpere solum,
sed DEUM, insigni impietate quoque *ipsum*
secum committere.

§. VII.

TRANSITUM facimus ad Mercatores, quos tan-
to feliores fore asserimus, quanto ex il-
lis internuntiis reginae mentis, puta sensibus,
philosophari poterint luculentius. Philosophia
de tota mereatura saluberrima præcepta tradit.
Hæc sedulo inculcat, honeste esse vivendum,
alterum non lèdendum, suum cuique tribuen-
dum. Hæc luculenter satis demonstrat, utrum
liceat ex pecuniis usuram petere: utrum fas sit,
carius quidquam vendere quam ipsi emerint.
Hæc denique eos attendere illud monet, ne
nimium appetant; ne cum CRÆSOS vicerint,
NUMÆ esse desinant. Præterea cum non o-
mnis ferat omnia tellus, & proinde exteris re-
giones & urbes adire necessum habeant, ut
indi-

indigentiae satisfieri quodammodo possit, vitæque necessitates suppleantur; unde quo loco felicius, quæ ad illum finem spectant, haurienda sunt, quam ex *historia*, præsertim vero politice finu & promtuario? Antequam manus isti sive
 vœ admovere cum successu queant, oportet ex *geographia* prælibasse omnium locorum situs, vias, promontoria, & portus, quatenus sunt vel subeundi vel cavendi. Expedit, mercatores nosse præter naturam rerum, quas emunt, aut pretio æstiment, etiam qui singularum regionum sint proventus, commoda & messes. Hæc autem ex scriptis *physicorum*, in illis vero præsertim *historiæ naturalis* scriptorum omnium optime peti possunt. Idemque de necessitate *matheseos reique nauticae* dico, quarum disciplinarum cognitio, ancoræ sacræ instar, illis est in navigationibus, præsertim longinquis. Varias porro addiscere debent lingvas ex scholis & bonis literis; quo deinde cum aliis non tantum plenum cogitationum suarum commercium instituere possint, sed etiam facundia verborumque lenocinio commendare merces, quas venum extrudere satagunt. Est etiam operæ pretium, ex scriptis philosophorum cognoscere mores, vel instituta

vitæ aliarum gentium, quibus, nisi se accommodare noverint mercatores, ipsis tæpe non minori pudori, quam proferendæ sorti suæ vitæ que generi, erit dispendio maximo. Transco
alia.

§. VIII.

Relicuum est, expendamus usum, quem
Rustici ex bonis literis hauriunt. Hos pro-
pter otium, quo abundant, sapientiae proxi-
mos esse & quasi consanguineos, inficias non
facile iverit quisquam; quamvis status & duri-
oris vitæ conditionis intuitu, quæ ipsoz hodie
manet, horreant & fastidiant mores illorum.
delicatuli multi, demirenturque qui squalidam
vitam illam ferre possint, duritiae & asperitati
laboris sui jam ante non nuntium remiserint. Vi-
deri posset pro curanda agricultura, extendendis
pratis, excidendis silvis, pro novalibus ampli-
andis, in summa: ad proferendam vitam a-
grestem, (cujus in civitate muneris excolendi
studiosissimum olim Svethiæ regem **BRUNELLA**
MUNDUS & sequiori anno **CAROLUM CA-**
NUTIDEM fuisse testantur annales) præter la-
certorum robur, sartam tectamque valetudinem,
scientiaz & ingenii adeo non multum requiri:
sed

sed cum sit illa non operarum manuariarum omnium modo, sed & publicarum frumentorum fundatum, quantum in illa arte strenue exercita, eademque novis inventis locupletata, possum sit, non difficulter quisque inventet. neque dubitandum, quin si illum vitæ sustinendæ modum maiores nostri præ militari atripuisserent, & diligentius curarent nostri ævi homines, tanta apud nostrates, quanta apud exteroros annonæ copia suppeteret, opulentiaque tanta & tam opima alluvio nostram gentem, quanta populos in vicinia positos cohonestaret. Sed potest etiam incondita illa gens, felicem ac tranquillam agere vitam, licet in literarum interiora non penetraret. Sufficere itaque rusticis putamus, si modo legere & scribere litteras poterint. Sæpe enim his opus est, subjicere testimonii & contractibus, qui cum aliis sanciuntur, fidei firmamenta, quæ usu venere, eademque manu sua obsignare. Quia vero a pueritia literas pingere eorum alii non didicerunt, inde monogrammata, Svethece Bomärken / in bonæ fidei argumentum, veterum more, aliorum candori, integritatique eosdem permittere necessum habere, palam constat. Sed cum characteres, semperius

verius symbola illa literarum furto & impostura
 nullo non tempore obnoxia sint, & abs quovis ve-
 teratore fallacioque, necis illis invitisoque, quo-
 rum sunt, in fraudem bonae causae adulterari facilli-
 me possint, quem usum rusticis etiam literæ, seu
 potius literarum elementa præstent, in propatulo
 est videre. Hinc ab illo vitæ modo, neque alienum
 erit, pingendarum literarum notitia a puero
 instru&sum esse; prælertim quum in humano gene-
 re miraculum sit prope scripturam invenire duo-
 rum adeo per omnia sibi similem, ut non aliqua sta-
 gnum appareat dissimilitudo: quemadmodum in tot
 millibus hominum vix unus refert adeo quidem
 exacte alterius faciem, ut in illa consensione parti-
 um, non aliqua lineamentorum dissensio & discre-
 paria sele prodat. *Aritibmetican*, suppurationis com-
 pendium illud insuper si adjecterit, non modo ma-
 gis securam possessionem bonorum suorum ipse si-
 bi præstabit a satione ruris ejusque custodia quisque,
 sed & irruptentibus ex improviso cuiusvis ge-
 neric exactoribus obviam ire, & ne per fraudem
 calculi, plus justo sibi extorquere possint, tempe-
 stive intercedet. Nobis cum prolixioribus esse non
 licet, DEUM rogamus, ut cum pacem & pacis
 artes præ ceteris Muse colant, easdem orbi Chri-
 stiano servet & rem literariam sempiternam
 florere jubeat.

S. D. G.